per Convocationem Domûs collata, et omnis supellex ad Habitationem spectans collata censetur, quam Habitationem cum supellectili per Præpositum Domûs regestrata et omnibus attinentiis ac pertinentiis ad eandem spectantibus in suo statu Clariſsimus Profeſsor conservare studeat; imò cùm suam Domum per l. Domum suam. ff. de Regul. Jur. unicuiq; reficere, modò non officiat alteri, liceat, eandem pro arbitrio et commodo suo, absq; læsione tamen Parietum et Cellariorum, aliàs ad restaurationem eorundem proprio sumptu faciendam tenebitur, reficere, refectam picturis, promptuariis, parietum coronis ligneis aliàs Listwami et aliis ornamentis adornare poterit, modò in egreſsu de illa, quæ clavo parieti affixa sunt et sine læsione parietis avelli non poſsunt relinquat. Omne enim quod solo inædificatur, solo cedere debet. §. Cum in suo. Instit. Imperial. de Rer. division.

STATUTUM XXIII.

De Charitate mutua.

Quemadmodum sine via pervenit nullus, quo tendit, ita sine charitate, quæ via est, non ambulare poſsumus sed errare. can. Charitas. dist. 2. de Pœnit. Ut igitur rectè in omnibus ambulemus et ne in quopiam erremus; statuimus quatenus in nobis mutua charitas (quæ est omnium bonorum radix can. Quia radix. loc. cit.) servetur. Nos invicem, non propter aliquas utilitates, non propter Affinitates vel Consanguinitates, sed propter hoc tantùm, quod jux. d. can. Charitas. §. Proximos. Naturæ nostræ simus participes diligamus. Nihil in nobis nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate, nihil immaniter, nihil inhumaniter. can. Prodest. 23. q. 1. Nun-

quam

quam à Nobis etiam in adversis (quod Deus avertat) charitas recedat; quia eo ipso, si à Nobis, etiam in illis recederet, simulata foret. can. Ficta charitas. d. dist. 2. de Pœnit. semper maneat; quia aliàs quod aliqndo deseri potuit, nunquam vera fuit. can. Charitas quæ. loc. cit. radicetur in Nobis, sic omnia mala eradicabuntur. Ubi enim charitas radicata est, ibi nihil mali esse potest. can. Radicata. d. dist. 2. de Pœnit.

STATUTUM XXIV.

De Concordia servanda et discordia vitanda.

Ut concordiam unitas, ita discordiam dualitas inducit. colligitur ex can. In apibus. 7. q. 1. Statuimus igitur quatenus inter Clarißimos Profeßores Domum hanc inhabitantes concordia, quâ res parvæ crescunt, discordiâ verò maximæ dilabuntur, servetur, unitas et pax, quæ est vinculum charitatis. c. Novit. §. Licet autem. de Judic. ab omnibus inviolabiliter teneatur, discordia, rixæ et dißensiones evitentur, ac ille, qui eas seminat, vel aliquando seminare audebit pro primò moneatur, pro secundò mulctetur, pro tertiò gravioribus pœnis compescatur. Qui enim societatem fraternitatis discordiæ peste contaminat, Deum, qui Charitas est, tanquam Judas prodit. can. Absit. 11. q. 3.

STATUTUM XXV.

De reverentia Majorum et Minorum observantia.

Siquidem non solùm in Communitatibus, verum etiam ubivis locorum Majoritas et Superioritas attendatur, Minoresq Majoribus debitam